

nis dicti Comitatus Crisiensis Maiestati nostrae extitit humilime, quatenus praenotatas quaternas Litteras omniaque et singula in eisdem contenta, ratas, gratas et accepta habentes Litterisque nostris inseri et inscribi facientes, approbare, roborare, ratificareque ac pro praefatis Nobilibus in Possessionibus praedictis ac in Comitatu antelato Crisiensi existentibus et commorantibus, aliisque ibidem divisionalibus et legitime comportionatis, iuxta ramum Genealogiae et comportionalitatis eorundem, successoribusque et posteritatibus ipsorum utriusque sexus Universis innovantes, perpetuo valituras gratiose confirmare dignaremur. Quarum quidem Litterarum primarum tenor talis est. Nos Mathias Dei gratia Rex Hungariae, Bohemiae &c. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit Universis, quod cum attentis et consideratis fidelitate et fidelibus servitiis fidelium nostrorum Universorum unius sessionis Nobilium intra Ambitum Regni nostri Sclavoniae ubivis commorantium, per eos Maiestati nostrae exhibitis et impensis, tum vero consideratis illis incommoditatibus, ruinisque et desolationibus, in quas ipsi per frequentes Turcarum incursiones et spolia, desolationesque et combustiones a certis jam retroactis temporibus devenisse dicuntur, volentes igitur ipsos unius sessionis Nobiles de huiusmodi ipsorum Calamitatibus et desolationibus relevare et nostram erga eos aliquantisper ostendere liberalitatem, eosdem a solutione taxarum seu Contributionum nostrarum medii Aurei, quae ab ipsis Maiestati nostrae provenire deberent, in perpetuum gratiose duximus eximendos et supportandos, Imo eximimus et supportamus praesentium per vigorem. Quocirca Vobis fidelibus Nostris Universis et singulis Dicatoribus et exactoribus quarumcunque taxarum seu Contributionum nostrarum medii Aurei in dicto Regno nostro Sclavoniae constitutis et in futurum constituendis harum serie firmissime praecipientes committimus et mandamus, quatenus amodo nullus omnino Vestrum a praefatis Nobilibus unius sessionis aliquam taxam seu Contributionem nostram ullo unquam tempore petere seu exigere, petique seu exigi facere, aut eosdem ratione non solutionis eorundem in Personis rebusque et bonis ipsorum quibusvis contra formam praemisse nostrae gratiosae exemptionis turbare, inquietare, seu quovis modo damnificare praesumat, neque sit ausus quoquo modo, gratiae nostrae sub obtentu. Praesentes autem, quas secreti et Annularis sigilli nostri appensione comuniri fecimus, post earum lecturam ubique reddi iubemus praesentanti. Datum Sopronii, feria quinta proxima ante Dominicam invocavit. Anno Domini Millesimo quadringentesimo octuagesimo tertio. Regnorum nostrorum Hungariae &c. Anno vigesimo sexto, Bohemiae vero quarto decimo. Superinscriptionis vero et acceptationis per praefatos Status et Ordines praenotatis Litteris annexae continentia talis est: Anno Domini Millesimo sexcentesimo duodecimo feria secunda post festum Inventionis sanctae Crucis, in generali Congregatione Dominorum Statuum ac Ordinum Regnorum Sclavoniae, Dalmatiae et Croatiae, ex edicto Illustrissimi Domini Comitatus Thomae Erdödy etc. praedictorum Regnorum Bani in Civitate Regia libera montis Graecensis Zagrabienensi celebrata, Praesentes Litterae Privilegiales, exemptionales, publice praesentatae et per DD. SS. et OO. Regni denuo acceptatae ac confirmatae sunt. Stephanus Patachich Magister Vice Proto-notarius Regni. Secundarum vero continentia Verbalis sequitur in hunc modum: Nos Ludouicus DEI gratia Rex Hungariae et Bohemiae &c. Memoriae comendamus tenore praesentium significantes quibus expedit Universis: Quod nominibus et in personis fidelium Nostrorum Nobilium Petri de Bogachovcz, Joannis Othav-